



2.

17

1.

2.

3.

4.

6.

17

1.



24.

W. 2 B. C.

16

1721, 4.

9525

DISQVISITIO
PHILOSOPHICO - PRACTICA,

DE

JURE

ET

OBLIGATIONE
COGNOSCENDI
VERITATEM,

Quam DIVINA ADSISTENTE GRATIA

&

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE CONSENTIENTE

In Illustr. Mecklenb. ad Varnum Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆCELLENTISSIMI,

M. PHIL. FRID. HANE,

MECKLENB.

Publico examini, qua par est modestia,
fifit

AUCTOR - RESPONDENS

JOANN. THIM, LENNARDSSON

Gothoburgo - Suecus,

IN AUDITORIO MAXIMO

Die X. Septembris Anni MDCCXXI.

horis consvetis.



ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVI, Ampliff. Senat. Typogr.



1710

DISPOSITIO
PHILOSOPHICAE - PRACTICAE

JURE

OBBLIGATIONE
COGNOSCENDI

VERITATEM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE CONSENTIENTE
in hunc modum: ad hunc effectum

IN SUB PRÆDICTO

M. PHIL. FRID. HANE

Publici examini, pro hujusmodi

JOHANN. THOM. LEHMANN

IN AUDITORIIS MAXIMO

die X. mensis Junii

1710



JUVANTE TRIUNO.
TRACTATIONIS

SECTIO I.

INSTITUTI ATQVE SUBSIDIORUM RATIO-
NEM EXHIBENS.

SYNOPSIS.

§. I. *Quare de proposito themate agendum sit?* §. II. *Quomodo obligationem ad cognoscendam veritatem dubiam reddiderit Illustr. Chr. Thomafius?* §. III. *Quomodo ab aliis tractatum hocce argumentum sit?* §. IV. *Inter Systematicos veteres Cicero; Recentiores vero Chrif. Wolfius ejus mentionem fecerunt.* §. V. *Quinam differtationes de hoc argumento ediderint?*



§. I.

Veritatem, si non in corde tamen in ore habent omnes, qui divina, humanaque dogmata vel voce vel scriptis tradunt aliis, atque contra adversarios quosvis mascule & strenue defendunt. Poterat hoc esse domesticum veritatis de veritate testimonium, quo se jure eam cognoscendi teneri, tacite minimum omnes agnoscant, ipsoque opere profiteantur. Atque hoc ipso superfluum omnino videri poterat nonnullis, me peculiari opera instruere aciem, pro veritate, ejusdemque cognoscendae necessitate

▲

tate dimicandi. Sed ut taceam, non constare sibi hoc rationum: de hoc vel illo argumento haut esse disceptandum, quod nemo de eodem dubitet; cum in moralibus officiorum ratio, si non propugnanda semper & contra hostes defendenda sit, sæpius tamen explicanda & commendanda veniat; rationes alia & causæ gravissimæ suppetunt, quæ tractationem hanc a me suscipiendam facile mihi pervaserunt, imo vero ejus necessitatem imposuerunt. Primo namque Vir Summus quidam, qui & hodiernos inter Philosophos præcipuum fere nomen adeptus est, hanc omnino ad cognitionem veritatis obligationem adfertis quibusdam suis dubiam reddidit. Deinde etiam largissimam hodie Juris naturalis scriptorum segetem in exponenda hujus officii ratione parcissimam fuisse, haud ægre quilibet deprehendet, qui scripta illorum evolverit. Quæ sane rationes non potuerunt non commendare mihi nobile hoc argumentum, in quo ingenii mei imbecilles vires periclitarer, cum carissimis Parentibus, aliisque studiosiorum meorum Moderatoribus diligentia, in extera hac Academia hætenus exhibitæ, aliquod documentum dare constituerim. Te autem B. L. compello, innoxium conatum hunc ita respicias, velim, ut, si quidem vires non semper in hac tractatione responderint voluntati meæ, veritatis tamen amorem studiumque, quo me in his teneris adhuc annis incensum colliges, calculo tuo comprobare haud dedigneris.

§. II.

Primo Virum quendam Celebrem, asserendam a me ad cognoscendam veritatem obligationem & necessitatem, dubiam omnino reddere dixi. Iste quidem est Vir Illustris, *CHRIST. THOMASIVS*, Doctor & Professor apud Hallenses, qui in limine statim Cautel. circa Præogn. Jur. Cap. I. §. 5. & seqq. talia protulit, quibus jus omne veritatem cognoscendi facile evertitur. Ita enim ille l. c. contendit; *Veritates in se neque bonas neque malas adeoque indifferentes esse, (alium enim esse conceptum veri alium boni) ignorantiam & errores neque bonos neque malos esse.* Hæc quæ fundamenti loco quasi extracta sunt, deinde
ratio-

ratiociniis & exemplis quàmplurimis ibidem illustrare, stabilireque nititur. Quibus autem omnibus admissis prona sese offerret consequentia, nullam nos adigere necessitatem ad inquirendam veritatem, erroresque fugiendos. Certissimum enim est, res indifferentes neminem obligare, sed pro lubitu easdem aut facere aut omittere homines posse. Omnem enim obligationis vim & efficaciam morale quoddam bonum vel malum producit. Permittet ergo mihi Vir summus, ut me diversum ab illo in hac quidem quæstione sentire libere profitear, ejusque deinde sententiæ suæ, postquam meam stabilitam ivero, ea quæ par est, & Philosophos decet, modestiam examen brevibus suscipiam.

§. III.

Quod porro dixi, me ad hujus argumenti discussionem permotum, quod apud præcipuos huc usque Juris Naturalis Doctores parciorem hujus officii, in inquirenda veritate præstandi, mentionem deprehenderim, id quomodo intellectum velim, paulo etiam uberius exponendum esse existimo. Mihi jus illud, quo veritatem investigare & cognoscere obstringimur, ad illa refertur officia, quæ nobismet ipsis debemus; ubi quidem genuina ejus ratio ex penitiori intellectus humani, ejusque finis (quem non alium quam ipsam Veritatem esse modo demonstrabo) consideratione commodissime omnium mihi explicanda veniet. Jam autem evolvat, qui velit, præstantissimorum Scriptorum *GROTII, PUFENDORFII, THOMASII, BUDDÆI*, & quorum non, qui in nobilissimo hoc scientiæ genere magni fiunt, & æstimantur, commentarios, & vel nullam vel parcissimam ab illis de obligatione, quam veritati debemus, institutam deprehendet tractationem. Equidem illud negare haud sustinuerim, præmisisse illos præcipuis officiorum capitibus credendorum notitiam, adeoque jus, quo veros verum conceptus atque ideas formare nobis tenemur, præsupposuisse (*) sed loco eodem ac modo, quo quidem ego hujus

A 2



hujus doctrinæ uberiorem expositionem desidero & rejicio, frustra eandem quæſiveris.

(*) *Fecit & hoc cumprimis Cel. J. F. BUDDIUS Theologus Jenens. in Institut. Theol. Mor. vid. Part. II. C. III. Sect. I. de Officiis Hom. erga DEum in Cultu interno etc.*

§. IV.

Ne autem quid dissimulem, aut quibus Doctoribus profecerim reticuisse videar, rem omnem & adhibita subsidia ingenue profiteri nullus dubito. Ita enim ex antiquiori ævo prisca atque probata Latii non minus felicem Philosophum, quam Oratorem facundissimum, CICERONEM, producere licet. Etenim is, quando officiorum, vi Juris naturalis præstandorum, rationem exponere aggreditur, primus in eo est, ut intellectum humanum solidiori veri cognitione ante omnia imbutum velit. Ita enim in aureo Offic. libello Lib. I. singula honesti præcepta tradere constituerat, quæ cum ad classes quatuor redacta essent, primo loco incipit à Prudentia, per quam quid intelligat, juvabit ipsis ejusdem audire verbis: *Ex quatuor autem locis, in quos honesti naturam, vimque divisimus, primus ille, qui in Veri cognitione consistit, maxime attingit naturam humanam. Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus: Labi autem errare, nescire, decipi & malum & turpe ducimus. &c. (*)* Hanc suam de cognoscenda veritate sententiam pluribus porro in antecedentibus & consequentibus ibidem declaravit, argumentorumque haut levium robore dedit confirmatam, ut si in explicandis, stabiliendisque reliquis officiis parili fuisset usus ratione modoque, quid in eo jure desiderent, ego quidem videre me haut posse, profiteri non dubitarem, quin potius palmam sequacibus suis omnibus eum præripuisse facile contenderem (**). Quem ex antiquissimo hoc seculo laudato Cicero huic demum jungere possum, unus scriptor Juris naturalis recentissimus tamen datur, qui ad oculos quidem meos pervenit, estque Celeberrimus Vir, CHRISTIANUS WOLFFIUS, Philosophus & Mathematicus Halensis. Iste in commentatione

one sua, quam de officiis Juris Naturæ novissime lingua Germanica edidit, (***) id quoque data egit opera, ut P. II. ubi de officiis hominis erga seipsum præcipit, Cap. II. toto, Obligationem hominis ratione intellectus, et inde etiam derivanda officia erga veritatem fusius explicaret, & solidissime demonstraret. Quæ quidem opera insignem faciem prætulit nobis & aliis, majorem tamen, si ita comparata esset Cel. hujus auctoris proponendi methodus, ut ab omnibus, isti haud advetis tradendi generi, commode satis & haut difficulter capi mens ejus possit.

(*) Lib. I, de Off. C. VI. Edit. de qua mox dicitur, Meier. p. 26.

(**) In reliquis igitur meam non facio litem istam, quæ amatores inter atque obtrectatores Ciceronis de pretio scriptorum ejus Philosophicorum magna animorum contentione agitata est. Laude sua, pro istius avi conditione, eum omnino fraudandum haud existimo, quemadmodum contra in exponenda, ordine neque dirigenda singulorum officiorum ratione illum omne tulisse punctum, haud temere pronunciaverim. vid. interim de hoc momento in genere Vir Summus, JO. ALB. FABRICIUS, in Suppl. ad Bibliothec. Lat. quæ hoc ipso anno velut Tomus IIus primum separatim prodierunt Cap. VIII. & in specie, quod ad officiorum libellum spectat, conseratur doctissima præfatio, quam editioni novæ Offic. Cicer. præmisit Consult. D. JO. JOACH. MEIERUS, Prof. Gættigenf. 1721. 8vo. Cujus quidem editionis vel hoc libentius meminisse juvat, quod ab illa majorem adhuc lucem argumento huic polliceri queam. Etenim promisit illa Scripta nonnulla recudenda, quæ ad Philosophiam Ciceronis penitus intelligendam plurimum facere possunt. Interque illa præcipuum puto Jasonis Denores, Nobilis Cyprii, in universam Ciceronis philosophiam, de vita & moribus, brevem & distinctam institutionem, libellum hætenus rarissimum, paucis visum, vid. GOTTL. STOLLE, in der Einleitung zur Historie der Gelahrtheit / P. III. C. I. S. 38. p. 45. Cel. FABRICIO tamen Biblioth. Lat. Tom. I. p. m. 148. memoratum. Novi alias V. Clar. M. DAV. RICHTERUM,

Gymnasi, quod hic Gustrovii est, Correctorem adhuc merensissimum, jam ex aliquo tempore in eo fuisse, ut iteratam quandam hujus Denoresii editionem nobis etiam propediem daret, in qua cum multa in opusculo isto Denores se emendaturum & illustraturum pollicitus est, quemadmodum ex commercio quodam literario, nuper admodum istum inter & laudatum paulo ante Doctiss. Meierum, Gæting. instituto, cognoscere licuit, non possum, quin institutum suum ut urgeat, exequaturque V. Cl. omnibus quibus possum viribus, rogem illum atque cohorter.

(***) *Subtit. Vernünftige Gedanken von der Menschen Thun und Lassen. Hal. 1720. in 8vo. qua consueti ipsi hactenus methodo, styloque ad mathesin magis accommodato conscripta sunt; de quo tamen docendi more quid sit habendum, quid frugis inde sperandum, si scire cupias conf. si placet, Cl. Præfidis Diss. de Methodo studii Philosophici, facili omnibus atque plana, Jenæ 1718. olim habita. Addatur tamen & Volckm. Contr. Poppo in Spinozismo detecto h. a. 1721. in 8vo. edita. C. II. III.*

S. V.

Præter binos hos auctores, quos in editis doctrinarum integris systematibus hujus argumenti mentionem injecisse deprehendere potui, alios etiam nonnullos in explicanda defendendaque hac doctrina peculiari opera defudasse, itidem diffiteri nolo. Fecerunt hoc imprimis duo inter Hollatos Theologi sat celebres; alter e vivorum numero non ita pridem exemptus, Vir S. R. **THEODORUS DASSOVIVS**, (a) alter, qui in vivis adhuc est, Magnif. **HENR. MUHLIVS**, (b) Sed diversum omnino à proposito nostro institutum esse secutos hosce Viros Theologos, quilibet facile conjiciet, qui de veritatibus tantum Theologicis, quas argumentis itidem ex revelato Scripturarum fonte petitis, tenendas asseruerunt, illis sermonem fuisse intelligit. Qua quidem ratione, parilique jure in hunc censum referendi forent solliciti labores **Summorum Virorum, FECHTII**, ἡ μακαρίης, **ÆPINI**, aliorumque

rumque Nostratium, quos pro defendenda veritatis necessitate contra adversarios, Indifferentitas Fanaticos, in scriptis suis, dissertationibusque variis, felici non minus quam laudabili conatu susceperunt. Mihi autem, quem philosophicarum veritatum necessitas potissimum habet sollicitum, quicquid in hoc studio decurrenti usui esse poterat, precipue inquirere curæ cordiqve fuit. Haut difficulter proinde in disquisitionem quandam Academicam *V. Cl. JO. FAC. LEHMANNI*, Prof. Moral. apud Jenenses, incidi, qui in dissert. *De eo, quod justum est circa custodiendam Veritatem* anno 1717. habita, idem mecum thema non infelici successu persecutus est. Credideris Virum hunc doctissimum mihi omnino fecisse otia, imo me vitulo ipsius arare in tota hac scriptione forte suspicaberis? sed noli judicare ante tempus, ne turpiter te dedisse merito videaris aliis. Fac inspice totam Auctoris tractationem & diversam istam quidammodo etiam a mea intelliges. Occupatur ille potissimum in univ. officiorum circa veritatem ratione explicanda, modumque à genuino veritatis custode per omnia rite tenendum secundum justitiae atque prudentiae regulas curatius praescribit, latiusque persequitur; tam amplo meum autem non continebitur ambitu propositum: agetur mihi potissimum de ipso jure & obligatione ad cognoscendam veritatem, idque cum contra Illustris Thomasiae praesertim objectiones, & dubia eveneri animus est, mihi post institutam ab illo messem, amplissimum in hoc campo spicilegium relictum esse, uti experientia mea compertum habeo, ita jam nunc ipso opere statim declarabo.

- (a) *Illius labor sub titulo: Fraternalloqvii, de pura doctrina sanctissime custodienda, lucem adspexit anno 1713. in 2to.*
- (b) *Hujus vero sub titulo: Schediasmatum, de eo, quod justum est, & factu, vitatuque necessarium circa puram doctrinam custodiendam, anno 1716. Kilon. publici juris factum est.*

SECTIO

SECTIO II.
 ARGUMENTA PRO DEMONSTRANDA VERI-
 TATIS OBLIGATIONE EDISSERENS.

SYNOPSIS.

§. I. Demonstrationis capita exhibentur. §. II. Veritas, quæ illa, & quotuplex sit examinatur? §. III. Veritas Logica admittitur. §. IV. De nexu veritatis cum natura humana disquiritur. §. V. Totius Philosophiæ nexus primo representatur. §. VI. Atque inde ad veritatem concluditur. §. VII. Ad obligationem requirere legem adsumitur. §. VIII. Quare legum naturalium ratio & ordo fusus explicatur. §. IX. Facta applicatione veritatis inter officia hominis erga seipsum.

§. I.

JAm vero ad id, quod mihi demonstrandum summi, accedere possum propius, postquam hæc hæctenus præmissi, quæ B. L. tum de instituto meo edocere plenius, tum etiam de ingenuitate, in diducandis aliorum huc spectantium scriptis adhibita, melius informare posse existimavi. Ad jus vero hoc ipsum & obligationem nostram, veritatem cognoscendi, paulo curatius commonstrandam, tria præsertim in considerationem venire capita mihi visa sunt, quæ ad sequentia redeunt. I. quid sit veritas, ejusque nomine, quid mihi *b. l.* veniat? indicandum. II. quisnam hujus veritatis cum ipsa natura humana, utpote ex cujus genuino fonte omnia sanioris Philosophiæ capita repetenda sunt, sit nexu? edisserendum. III. denique, quam hinc pro veritate indaganda, tuendaque referret obligatio? distinctius erit explicandum.

§. II.

Primo loco, quid mihi Veritatis nomine intelligatur? edisserere pollicitus sum. Quod ut rite fiat, in limine statim prænotandum est, Veritatis voce multifariam uti consuevisse hæctenus

hætenus alios, ejusque varias distinctiones attulisse. Ita enim Veritatem aliam faciunt *Metaphysicam*, aliam Logicam, aliam denique *Ethicam* seu *Moralem*. *Illam* à qua diversam iterum volunt veritatem physicam, in essentia rerum, *istam* in cognitione nostra, *hanc* vero denique in sermone, illisque signis, quæ sermonis loco adhibentur reperiri contendunt. Sed vero, si quod fas est, verum fateri mihi liceat, quo hæc distinctio nitatur fundamento, hætenus me videre haut potuisse profiteor. De priori illa veritatis specie, quam sibi metaphysici vindicant, inter perplexos hosce Doctores non adeo convenit, in quonam illa objecto, quoque subiecto quærenda sit. Sobrius tamen, qui inter hos philosophantur, divino eandem relinquunt intellectui, inque constituendis rerum essentiis versari contendunt. Cumque adeo hæc quæ supra nos, nihil ad nos in hoc quidem passu, pro sortis humanæ conditione merito spectare æstimantur, hanc quidem veritatis distinctionem nonnisi in otiosorum hominum cerebro fundamentum habere censeo. (*) De posteriori illa veritatis specie, Ethicæ nomine vulgo indigitata, paulo aliter quidem pronuntiandum, quod illa inter officia juris naturalis hypothetica, quæ circa sermonem tenenda sunt primum sibi locum vindicet, adeoque legitimo quodam fundamento non destituatur. Sed si & hæc Moralis virtus, quæ mendaciæ vitio opposita est, alio, eoque commodiori, v. c. veriloqvii veracitatis nomine efferretur, nonne in majori quadam luce collocarentur simplices rerum notiones, confusionique & ambiguitati circa voces subtraheretur occasio? Ex hætenus igitur distinctis veritatis speciebus, secundum nostrum concipiendi modum unica saltem remaneret, foretque veritas, eaque solius Logicæ considerationis, ad quam solam adeoque nostra omnis redibit, verteturque disputatio.

(*) Hanc nimirum mihi legem positam existimavi, ut singula Philosophia capita ex respectu ad hominem ejusdemque felicitatem metiri velim. Qui alium scopum, finemque alium sibi habere præfixum, hos quidem suo sensu abundare libenter patior, quam-

vis ipsorum studium in vanam atque inanem curiositatem abire mihi videatur. Qui autem ita philosophantur ut scientias procudant fingantque, de quarum objecto vel subjecto vel requisitis necessariis aliis, illis non satis convenit, ne illi sapientie studium inventis novis augendo amplificandoque easque quae per se alias clarae erant atque distinctae, doctrinas ex industria confundendo atque magis intrucando praclare de Republ. literaria merentur! Commodè b. l. succurrit illustre exemplum, quo hoc ipsum confirmare possum. Ex notissima illa controversia, quae inter Theologos agitata est, de vera rerum sacrarum in irrogenitis notitia, in recenti omnium versatur memoria, eos, qui illam insciati sunt, ad hanc ipsam veritatis distinctionem in Logicam & Metaphysicam, se recepisse. Quo jure quae injuria ad hanc quaestionem accommodata sit hac distinctio meum non est dijudicare. Praepostere hoc fieri observatum est B. SAM. SCHELGWIGIO in Synopsi Controv. Artic. I. Quæst. IV. & musteam esse distinctionem inter verum Logicæ & Metaphysicæ pronuntiavit immortalis nominis Theologus, B. JOH. FECHTIUS in dissert: Confectaria periculosa ex doctrina de falsa irrogenitorum circa se sacras notitia exhibente, Thef. I. §. 6. p. 8. mihi illud saltem ex hoc comprobasse suffecerit, periculose plenum opus alea tractare illos, qui in doctrinis hujusmodi, quæ nullo in re ipsa gaudent fundamento, excolendis multum opera ac studii collocant. Esse autem ex horum numero doctrinas hosce Metaphysicas, exallato hætenus exemplo, luce clarius patere existimo. Cui hoc unum saltem hoc loco addisse liceat, ad hosce communioris doctrinae novos ejusque incommoda respexisse etiam Cl. Præsidem in Dissert. de Methodo studii Philos. Sect. II. §. 4. Quamquidem ejus sententiam, insigni rationis robore firmatam, eaque quæ par erat, animi modestia propositam, is, cui sanum est suspicari, hauri temere sugillabit.

§. III.

Unica igitur, quæ mihi est & consideratur Logica Veritas,

tas, nihil aliud denotat, quam conceptum mentis humanæ cum re, quæ concipitur, exacte convenientem. Summum hoc & primum veritatis genus alias deinde atque diversas admittere & sub se complecti species, lubentissime largior. Qui enim cujuscunque generis objecta, de quibus concipitur veritas, curatius confiderat, modo quid de illorum existentiam modo quid de essentia, modo etiam quid de rebus circa eadem contingentibus, verum occurrit cognoscendum, ante oculos habere debet, ut adeo sponte sua se ingerat Logicæ veritatis divisio, cujus alia erit *existentia* alia *essentia*, alia denique *contingentia*. (*) Potest & porro diversus iste modus, quo circa veritatem versatur Logicus, novam quoque ejusdem nobis suppeditare divisionem. Duplici enim potissimum circa veritatem defungitur officio Logicus; Nunc enim de inveniendâ illa & investiganda est sollicitus, nunc autem communicatio ejusdem & applicatio illum habet occupatum. Quis igitur ex hoc capite non videt, pro Logici diverso agendi modo, aliam esse *veritatem inveniendam* & aliam iterum *applicandam*? (**) Sed vero, quæ ita diversimode considerantur, non nova statim constituunt veritatum genera, sed tanquam distinctæ saltem species ad unam illam quam admisi, veritatem Logicam commodissime referuntur. Habentque hæ omnes species pro opposito cognitionem falsam & errorem, qui tum menti nostræ se insinuat, ubi vera rei cognitio desit. Quo igitur jure tum in sectanda veritate, tum etiam fugiendo errore omnium cognitioneque falsa obstringamur, mox patebit pluribus, ubi nexum utriusque cum natura humana clarius & distinctius demonstravero.

(*) *Vid. SYRBIUS in Institut. Phil. Rational. Part. I. Cap. I. §. 12. seqq.*

(**) *Leg. Idem l.c. Cap. II, §. 1. & add. Lehmannus in Diss. cit. Cap. I. §. 4. p. 6.*

S. IV.

Demonstrandus autem h. l. à me nexus ille, qui veritati hæcte-

hactenus descriptæ cum ipsa natura humana intercedit, præcipuum fere in tota hac causa momentum trahet, sollicitius hoc igitur à me investigandum atque declarandum. Ad hoc autem rite perficiendum, ut universum philosophiæ ambitum in scenam producam, impositam mihi necessitatem video. Philosophiam vero ipsam iidem ex nexu illo cum homine arctiori metiri me, jam supra factus sum; si quæ ergo darentur partes, in quibus hujusmodi nexus monstrari haut posset, hanc jure suo ex Philosophiæ circulo excludendam tamque sancto nomine indignam plane judico. Neque tamen hoc ipso philosophiæ limites nimis à me coarctari quis inde colliget? Namque quicquid rerum in hoc universo datur, earum omnium considerationem merito sibi philosophicus vindicat, ita tamen, ut semper quo ad hominem respectu gaudeant, penitus intueatur. Estque hinc, quod in ordinandis philosophiæ partibus præcipuam finis hominum rationem habeant, atque ad illum fere ubique respiciant Saniores Philosophi; quod fecisse præsertim memini V. Cel. *ANDR. RYDELIUM* Philosophum Lundensem-Gothorum Præceptorem meum non ita pridem fidelissimum; (*) Cumque illo amica quadam conspiratione contententem deprehendo *JOH. FAC. SYRBIUM*, Philosophi Prof. apud Jenenses hodie longe celebrem. (**)

(*) *Tum in lectionibus suis Philosophicis fere ubique, tum etiam in Disputationibus publicè ventilatis, variis passim, vid. inter alias, Tentamen Pneumatico-Practicum de Amore boni, hoc ipso anno propositum §. 7. seqq.*

(**) *In Inst. Philos. Itæ anno 1719. Jenæ evulgatis, in 8vo.*

§. V.

Ex horum autem potissimum Virorum placitis nexum sequentem capere licet. Rerum omnium in hoc universo occurrentium ordinem ita à Sapientissimo omnium Conditore esse dispositum, ut in hominis cedant usum atque emolumentum probant atque evincunt (*). Modus autem quo circa
res

res quasvis versari debet hominis philosophi studium non alius nisi sequens datur efficiturque, quam ut *primo* rerum omnium quæ ita humanæ fortis circulos ingrediuntur, veram debitamque cognitionem habeat, *secundo*, ut rebus iis cognitis modo ac ordine, à Deo Creatore præscripto, probe uti norit, atque ex hac quidem consideratione geminus atque genuinus ille finis emergit, qui ex intentione divina primæ menti humanæ, quæ subiectum illud, philosophiæ operans, constituit, datus est alter quidem ad intellectum pertinens, qui per naturam suam nonnisi in veri de rebus omnibus cognitionem fertur; Alter autem voluntatem præcipue tangens, quæ desiderio boni ejusque appetitione, juxta cognitionis præcedentem normam occupatur. Qui igitur ex hisce finibus suam nobiscum metiuntur philosophandi rationem, nihil aliud agunt, quam ut vero atque bono studeant, adeoque ipsam Sapientiam seu Philosophiam non possunt definire melius, quam per *studium veri & boni*. Quo sine quocumque potitur, ille revera possidet & verum & bonum, ipseque adeo Philosophus est possessor veri bonique.

(*) SYRBIUS *l. c. Part. 1. Cap. III. §. XI. p. 62. seqq.*

§. VI.

Totius Philosophiæ faciem hac ratione exhibendam fuisse ratus sum, ut de nexu totius Systematis cum natura humana ante omnia nobis constaret. Nunc de partibus ejus rationes colligere atque subducere hoc erit facilius. Et quo loco veritas, ejusque cognitio habenda sit, jam cæcus sit oportet, qui haut videre possit. Mihi dimidiam philosophiæ partem absolvere veritatis cognitionem hac ratione demonstrare in proclivi est. Adsumamus enim quod hæctenus evictum est, non alias nisi has genuini philosophi partes esse, ut vero bonoque studeat. Quis jam non videt, quodnam in Philosophia momentum trahat veritatis cognitio? Est nimirum alteruter ex finibus, ad quas ex intentione sua primæ creator adspirare

voluit hominem, ad veram felicitatem in hac vita contendentem. Est meta, ad quam intellectus, altera humanæ mentis facultas in omnibus suis operationibus ultimo terminatur. Est denique finis in ordine primus, eo quod desiderium voluntatis ad bonum in id non fertur prius nisi antea præcesserit cognita ejus vera per intellectum ratio. Quæ enim possit esse ignoti cupido.

§. VII.

Nexu igitur, qui veritati cum natura humana intercedit, ita satis clare, quod spero, omnium oculis exposito, superest, quod ultimo loco commonstrare pollicitus sum, ut obligationem, qua ex hæctenus instituta consideratione pro veritate indaganda tuendaque resultet, denique declarem. A lege obligationem omnem esse, constat inter omnes. Ut igitur pro nostro instituto sufficientem hujus obligationis rationem reddere valeam, duo adhuc præcipua momenta mihi in hac causa expedienda veniunt; prima quænam lex illa sit? curatius indagandum & edisserendum, deinde ad quos lex illa ita pertineat, ut eos obliget, ex præmissis est repetendum.

§. VIII.

Non aliam nisi naturæ legem me h. l. respicere vel me tacente, quis intelligit. Si igitur evictum illud dederò, hoc ipsum ut homo veritatem rerum quarumlibet, cum quibus sibi aliquid negotii intercedit, indaget atque cognoscat, vim legis naturalis obtinere, res omnis confecta atque expedita videbitur. Hoc autem ex sequenti ratiocinio in promptu est. Ut agendi aliqua regula in naturalium legum numerum veniat, requiritur, ut illa vel finis hominis summus vel subordinatus sit, vel tanquam medium ad finem illum perveniendi præscribatur. Alias, qui sibi fingit naturæ leges, nec ille à primæva naturæ conditionis intentione, tota aberrat via! Mihi autem, cui omnis naturalium legum ratio à fine est, inde quoque non aliud primum & universale Juris Naturalis admittit-

mittitur principium, quam quod convenientiam actionis cum fine hominis requirit (a) Finis hujus rationem modumque supra §. V. quodammodo jam exposui & declaravi, jam illud addere liceat, hunc ipsum finem, si ad summum respiciamus, cum omnimoda hominis felicitate per omnia consentire. Quæ ad hunc finem summum obrinendum diriguntur, actiones, circa diversa occupantur objecta, quæ iterum triplicis potissimum generis sunt. Vel enim DEum Creatorem respiciunt, vel nos ipsos, vel alios denique homines. Et hinc etiam sponte sua triplex subnascitur finis subordinatus, actiones nostras tum erga DEum tum nos-met ipsos, tum etiam alios homines dirigens. Quas ex his prior ille atque posterior finis præscribit leges, ad meum quidem institutum jam non pertinentes, medius duntaxat huc spectat & hujus considerationis est. Inter officia igitur erga nos ipsos præstanda occurrunt juris naturalis præcepta, quæ à finibus singularum partium specialibus pendunt. Estque inter hos, quæ primum occupat locum, altera humanæ mentis facultas, intellectus, cujus finem non alium quam veritatis cognitionem supra indigitare potui, neque à quoquam, alium unquam indigitari posse, per ipsam naturam atque Creatoris intentionem persuasissimus sum. Ex his igitur præmissis sequitur vim legis naturalis obtinere, ut hominem ad inquirendam cognoscendamque veritatem obstrictum esse censeam.

(a) *In hoc consentientes mecum habeo Cel. SYRBIUM in philosophia Ima Part. I. Cap. VI. §. 41. pag. 294. Jo. Jac. LEHMANNUM in Dissert. prælimin. ad Puffend. de Offic. Hom. & Civis §. VIII. & in notis, ad p. 136. Ad. Laudatus RYDELIUS in tentamine de Amore boni §. 8. & Cl. Præsidis Diss. de Methodo studii Philosoph. Sect. I. §. 14. p. 20. seqq. Quæ alias à variis varia sunt tradita prima Juris Naturalis principia data opera examinanda sibi sumsi, partim illorum refellendo, partim etiam conciliando, consulte. NICOL. PRAGEMANNUS in Jurisprudent. Nat. Jen. 1720. edita Diss. III. tota.*

S. IX.

De obligatione igitur, quæ inde ad omnes homines redundat, non est, ut verbis multis firm sollicitus. Postquam enim firmissimis rationibus hæctenus demonstratum est, veritatem, ejusque cognitionem ita à sapientissimo rerum conditore nobis esse propositam, ut inter ipsas naturæ leges locum haut infimum occupet, atque ad ea officia pertineat, quæ homo ratione intellectus sui sibi ipsi præstare tenetur, quis inde ipso jure naturali obligari, ut quid verum falsumque sit, rite discernere, justumque hinc rebus omnibus statuere discat precium. Finis enim iste quidam specialis est, cujus obtinendi gratia natura ipsa omnino obligationem addidit, ut ad illam homo adspiret. Quod si autem finis summi s. ultimi rationem duntaxat habere velimus, spectari etiam potest tanquam medium ad eundem necessario ducens: quorum tamen mediæ obligatione nos ex eadem naturæ lege teneri vel satis jam ex supradictis patere potest. Et ita quidem, quod pollicitus sum in commonstranda veritatis necessitate & obligatione, me omnino præstitisse, atque meis me exsolvisse promissis mihi videor. Requiritur jam illud poterat, ut rationem modumque in legitima veritatis investigatione pariter atque applicatione per omnia tenendum, pluribus hoc loco exponam atque declararem, sed in hoc mihi otia esse facta ab Auctoribus supra jam excitatis lubens profiteor. Quæ enim tum *CEL. LEHMANNUS*, tum etiam *WOLFFIUS*, II. cc. attulerunt (*) huc ex instituto faciunt, totumque hoc argumentum ita exhauriunt, ut ego quidem horum repetitione tutò superfedere queam. Mihi de ipso jure & obligatione cognoscendi veritatem, quam illi non tam præcise respexerunt, hæc hæctenus pro instituti ratione edisseruisse sufficiunt, in quibus & jam mihi acquiescendam foret, nisi dubia nonnulla & objectiones Viri Illustr. *CHRIST. THOMASII* restarent, quæ prius è medio tollendæ sunt, antequam hæc tractatio finiatur.

(*) Ille

(*) *Ille quidem in Diff. cit. de eo, quod iustum est circa custodiendam veritatem Cap. II, III. & IV. Hic vero in den bernünfftigen Gedanken von der Menschen Thun und Lassen / Part. II, Cap. II, p. 159. seqq.*

SECTIO III.

CIRCA DUBIA ET OBJECTIONES RETUNDENDAS OC- CUPATA.

SYNOPSIS.

§. I. *Tenendus in hac tractatione ordo indicatur.* §. II. *Quo nitatur fundamento sententia Thomasi?* §. III. *Quibus rationibus eam stabiliat?* §. IV. & V. *ad allata exempla Veritatum noxiarum & inutilium responde- tur.* §. VI. *Fit transitio ad incommoda & pericula sententia opposita.* §. VII. *Quorum interna alia,* §. VIII. *alia externa enumerantur.*

§. I.

IN præcedentibus adeo presse scopo semper in hâsi meo, si- lumque propozitæ demonstrationis unice ita secutus sum, ut vel parciorem vel omnino nullam rerum cognatarum rationem habuerim; quidve commodi ex nostra possit exspectari sententia, quid contra incommodi secum vehat oppo- sita aliorum sententia, hæctenus exponendi nullum reliqui lo- cum

C



cum. Commodiorem namque fore occasionem credidi de hisce rebus differendi, quando objectionum & dubiorum **ILLUST. THOMASII**, quibus sententiam à me defensam infringi atq; penitus everti jam supra observatum est, ultima hac denique Sectione, instituere examen constitui. Agam jam igitur illud, & ut felicius eo totum hocce negotium persequi valeam, primo, in ipsius sententiae Thomasiae fundamenta atque praesidia inquiram, eaque pro viribus destruiam & subruam; *Deinde* verò, incommoda atque pericula, quibus Illustr. Viri sententia circumsepta est, edisseram pluribus atq; demonstrabo.

§. II.

Ad fundamentum Cel. V. quod primo spectat, nititur tota ejus sententia hac hypothese; *Veritates in se esse bonas neque malas, adeoque indifferentes; & contra ignorantiam itidem, atque errores neque bonos esse neque malos.* Quae quidem Illustr. Viri hypothese ita comparata est, ut à me vi praemissarum nullo modo possit admitti. Etenim veritatem in tanto collocavi fastigio, ut necessitas eandem cognoscendi ad ipsam legum naturalium dignitatem evecta sit. Quicquid igitur legis vim atque indolem obtinet, illud haecenus non amplius rebus indifferentibus accenseri potest, sed omnino etiam bonitatis moralis naturam induisse oportet. Ne vero & meae duntaxat hypothese infervisse Viro Cel. videar, juvat porro jam in rationes ejusdem inquirere, quibus istam suam sententiam stabilire annisus est, quibusque ad justam rationis trutinam expensis, cujusnam verior sit sententia, cuilibet clarius sane apparebit.

§. III.

Prima, quam l. c. adductam deprehendo, ratio haec est, quod **AUCTOR** Illustr. contendit, *alium esse conceptum veri, alium vero boni; bonum autem in se vel verum esse vel falsum.* Circa hanc

hanc propositionem primo loco monere illud mihi liceat, asseri quidem illam, non vero probari; adeoque certa ratione peti illud, quod adhuc est in principio. Quoniam autem in thesi hac totius fere rei cardo vertitur, lubet paulo distinctius illam examinare, ut clarius de toto hoc negotio constare possit omnibus. Primo quod dicitur: *alium esse conceptum veri, alium boni*, in hoc facile me sibi habet consentientem; neque enim adeo delirum mihi caput est, ut res per se diversas, earumque distinctas ideas iterum data opera confundere velim atque intricare. Igitur ad alterum ejus adsertum res omnis redit, quod contendit, *bonum in se vel verum esse vel falsum*. Hoc autem gratis à Viro Summo adsumi, mea est sententia. Equidem ut falsum aliquid sit, & tamen boni indolem habeat, id quidem est, quod bonitatis naturæ plane repugnat. Bonum aliquid est, quod fit vel finis hominis tantum, vel medium tantum, vel finis & medium subalterne. Hæcce boni indoles, in superioribus fusius demonstrata, aliisque probata, (*) contra intentionem DEI creatoris alia fingi nec potest nec debet. In hoc igitur vehementer fallitur Illustr. AUCTOR, quod persuadere sibi aliisque cupit, bonum, quod vi præcedentium ab ipso hominis sine mihi haut distinguitur, & falsum aliquid esse posse. DEUS profecto fines illos, quod intellectui hominis atque voluntati præfixit non voluit esse diversos, sibi que contrarios. Quemadmodum igitur voluntati ita boni desiderium indidit, ut illud semper appetat, cumque illo uniri cupiat, ita intellectus per naturam suam in veri duntaxat cognitionem fertur, quod & eousque procedit, ut ad boni rationem intelligendam illud omnino prærequirat, an bonum illud voluntati appetendum revera sit tale, an vero saltem apparens sive falsum, quod adeo revera malum est.

(*) Vid. RYDELIUS in *diff. cit.* S. 8. p. 24.



§. IV.

Quæ hætenus disputata sunt, clariora evadent, siquidem exempla illa, quæ ab Illustri THOMASIO adducuntur, penitius paulo perlustravero. Ut enim memoratum modo pronuntiatum suum stabiliat, veritates nonnullas, quas vocat, noxias & inutiles in scenam producit, inter quas primum locum occupat exemplum, quod à præcoci rerum venenearum cognitione desumptum est, cui aliud in simili casu jungitur, de sensu atque perceptione rerum affectus moventium. Sed ad hæc respondetur, dubium mihi adhuc videri, an hujusmodi rerum cognitio veritatibus noxiis & inutilibus accenseri mereatur. Quod enim ad maturiorem rerum Venenearum cognitionem spectat, an tantum inde periculi atque damni metuumendum sit, nescio? Quod enim nonnulli his rebus nimium, quam par erat, delectantur, illud exinde est, quod sibi vanas multas de iis sinxerunt ideas, montesque aureos polliciti sunt, quod sane haud fecissent, si quid verum in hisce rebus, quidve ex intentione creatoris bonum mortalibus revera concessum sit, prius cognovissent. Apparet igitur, præcocem harum rerum notitiam non adeo simpliciter damnari posse. Deinde vero si vel maxime concedatur, dari in utriusque rei cognitione aliquid noxii & inutilis, tamen illud exinde haut conficitur, quod pro sententia Viri Summi vel maxime debebat. Nimirum haut sequitur ignorantiam seu falsam quandam cognitionem esse bonum aliquod morale, quoniam rerum allatorum notitia noxii quid & inutilis secum vehat. Equidem hujus rei causa in ipsa harum rerum cognitione jure suo quærenda est, eo, quod non ita comparata sit, quemadmodum quidem ex rei indole & creatoris optimi intentione debebat, id quod clarius adhuc apparebit in instituendo mox reliquorum, quæ allata sunt, exemplorum examine.

§ V.

S. V.

Porro enim V. Cel. sententiæ suæ aliquod præsidium in specie petit in veritatum quarundam inutilium exemplis, qualia sunt, v. c. cognitio numeri in granis fabuli, notitia eorum, quæ singuli auditores habent in marsupiiis, & quæ hujus rei plura dari & à nobis etiã addi possent. Sed hæc omnia defensam à me sententiã haut feriunt atque infringunt. Primo enim nunquam mihi in mentem venit, ut negare velim, dari veritates, quarum aliæ sint aliis utiliores, imo quod occurrant nonnullæ, quæ nullius sint usus. Namque in hoc potissimum occupatum esse oportet veritatis indagatoris officium, ut quæ sibi aliisque majorem præstare possit usum cognitio, probe discernat, quorum quidem officiorum ratio, quod abunde satis ab aliis exposita sit, (*) data opera à me, ut factus sum, supra prætermissa est. Admisso autem hoc inter veritates utiles atquæ inutiles discrimine, remanet tamen nihilominus hominis ad cognoscendam veritatem obligatio. Est namque veritas in se spectata ejusque cognitio summa intellectus perfectio, quæ tanquam finis à Deo præfixus navibus atque quadrigis est expetenda, quemadmodum in superiori Sectione pluribus illud evictum est. Sit vero, jam unam alteramque veritatem non pari ratione ad hunc finem tendere, imo dari nonnullas, quæ ad illum vel parum vel nihil omnino faciant, tamen illud non sequitur inde, quod tamen confidenter factis illust. *AUCTOR* contendit, veritates nonnullas moraliter malas esse; certe allata exempla illud haut probant; aliud enim est manetque, inutile esse aliquid, aliud vero moraliter malum, quod hoc in casu aperte confunditur, Denique & ita comparata sunt exempla, quibus V. Cel. probare conatur, ignorantiam ac errores non nunquam utiles & bonos esse posse. Ut enim primo in hac quæstione non distinguitur inter illud, quod ex accidenti fit, & illud, quod rei per naturam suam competit; ita etiã ipsa exempla errorum quæ afferuntur

tur bonorum v. c. *Si quis per errorem hostem suum percutiat, cum tamen ex intentione sua amicum petierit; item si quis adulterium commissurus, cum uxore propria per errorem rem habeat, bonitatem suam moralem neutiquam tuebuntur, ut etiam in foro humano haut impune ferantur, eo quod bonitas actionum moralium ex intentione potissimum agentis æstimetur, id quod meminisse Vir Illust. & poterat & debebat.*

(*) *A Gcl. WOLFFIO atque LEHMANNO ll. cc.*

§. VI.

Subversis autem hac ratione, quibus sententia Thomasiانا nitebatur, fundamentis præcipuis, non opus erit, ut morer reliqua, cum in illis præsidii nihil possit esse reliquum. Restat igitur in tractatione hac mea unicum illud, quod promisi, ut incommoda illa atque pericula, quæ ex sententia Illust. Viri metuenda sunt, brevibus enumerem, eoque facto præsentis dissertationis vela tandem contraham.

§. VII.

Quæ Veritatis neglectum incommoda premunt atque pericula, non unius sunt generis; ad *internam* enim rei naturam & indolem alia referre possum; alia autem, quæ *extrinsecus* adveniunt, itidem commemoranda veniunt. *Ad priorem* classem spectat, (1) quod veritatis, ejusque cognoscendi necessitate & obligatione sublata, ignorantia & erroris omnis suscipiatur patrociniū, quæ tamen præcipua corrupti, intellectus vitia tollere & emendare saniores cupiunt omnes. (2) Ex eodem fonte fluit, quod hac ratione indifferentissimo, de rebus quibuslibet quidlibet sentiendi, credendi, judicandi lata aperitur porta. Hoc in Philosophicis haut caret periculo, siquidem ea voluntatis est indoles, ut juxta intellectus normam atque judicium actiones suas componat, quod si à vero aberraverit tramite, in lernam malorum, quicquid agant, mortales

con-

conjicit. Quid rebus Theologicis damni inferat hæc sentiendi & credendi indifferentia, fufius expositum est aliis, de qua illud faltem addere mihi liceat, proximam hujus cauffam effe admiſſum in philoſophicis perverſum veritatis neglectum. (3) Cum eodem hocce incommodo & vulgaris iſte error conjunctus eſt, quem paſſim admittere ſecus ſentientes deprehendimus, quod voluntatis emendatio præcedat emendationem intellectus. Hoc autem quomodo repugnet, imo plane invertat conſtitutum a ſapientiſſimo creatore naturæ atqve rerum ordinem, clare ſatis ex ſupra allatis, quod ſpero apparebit. (4) Denique ſi cum Thomafio omnem à Veritate cognoscendi obligationem & neceſſitatem auferre velimus, & in moralibus rem noſtram ſatis frigide acturi ſumus. Bonum enim illud à voluntate appetendum, quod tamen tantopere & unice commendatur Viro Illuſtri, non amplius bonitatis rationem tuebitur. Eſt namque illud exinde, quod ab intellectu hoc ipſum verè, non autem apparenter tale ſit cognitum. Quod tamen ubi deficit, & bonum hocce eodem modo, quo verum erit indifferens.

§. VIII.

Incommoda alia denique *extrinſecus* mihi advenire dicuntur, eo quod, poſt habita veritatis inveſtigatione, externa doctriinarum hætenus habita ratio omnis peſſum iret, ordoque interverteretur, huc uſque non ſine ſcientiarum emolumento atque augmento obſervatus. Quis enim non videt (1) eſſe ridendos Logicos, utpote quorum opera omnino carere poſſumus? Quid enim regulis ad veritatem perveniendi opus erit, ubi ipſa non indigemus veritate? Quod ſane præjudicium Illuſt. *AUCTOR*, qui in excolendis præceptis logicis multum omnino nec ſine bonorum applauſu laboravit, quomodo à ſe amolietur, ipſe videat. (2) Pari ratione ridere poſſumus omnes, qui Philoſophiæ Theoreticæ operam navant, imo etiam
 qui



qui in Facultatibus, quas vocant superiores, Juridica & Medica, scientiarum theoriam hactenus præmiserunt ejusdem praxi. Ea enim ad veritatis tantummodò inventionem & defensionem comparata est, qua tamen vi sententiæ oppositæ omnino jam super sedemus. (3) Si ad castra aliena transire vellemus, ridere etiam possemus Theologos orthodoxos omnes, quorum pro veritate tuenda Zelus, si vel maxime agendorum necessitatem secum velit conjunctam, ad nos tamen non spectat amplius, quoniam a praxeos bonitate modum suum atque mensuram demum accipere debet. Frustra igitur nobis occinent: **NUNQUAM RECTE VIVITUR, SIC-
UBI NON RECTE CREDITUR!**

SOLI DEO GLORIA!

SPHALMATA

quædam extantiora sensum turbare possunt, quæ in gratiam Lectoris notare volumus.

Pag. 3. lin. 31. verum, leg. rerum, p. 5. lin. 11. dicitur, leg. dicetur. p. 8. lin. 24. humma, leg. humana. p. 9. lin. 24. post vocem veriloqui, ponatur (i) p. 10. lin. 20. se, leg. res. ibid. lin. 25. hosce, leg. hæc. ibid. lin. 27. addisse, leg. addidisse. p. 11. lin. 6. existentiam leg. existentia. ibid. lin. 24. defuit, leg. deficit. p. 12. lin. 13. philosophicus, leg. philosophus. ibid. lin. 27. Ima. leg. Imæ. p. 13. lin. 11. tangenæ, leg. tangens. p. 12. lin. 30. nec, leg. næ. ibid. lin. 31. conditionis, leg. conditoris. p. 15. lin. 32. & 33. partim, leg. partem. p. 16. lin. 32. acquiescendam, leg. acquiescendum, &c.

ADDITAMENTUM,

Quod PRÆSES hujus Dissertationis præstantissimi Auctoris, Respondentis sui, labori subicere debuit.

SHEMA aliquod SYSTEMATIS PHILOSOPHICI ante hos tres annos, cum in Academia Jenensi meorum in Philosophia profectuum primas rationes redderem, Dissertationi de *Methodo studii philosophici, facili omnibus atque plana*, inserui, illudque doctorum passim Virorum subire atque experiri judicia hæcenus tam longo tempore passus sum. Easdem illas doctrinarum philosophicarum primas lineas exscriptis jam typis prioribus hujus Dissertationis plagulis, sub censuram vocari, propositumque schema mutilum & imperfectum pronuntiari audio. Licebit igitur singula hoc loco repetere capita, ut sanus quilibet, extra partium studia positus, judicare queat, quo jure, quave injuria hæc talia in proposita à me methodo desiderata sint.

I. *Mathecos* nobilissimam scientiam doctrinis philosophicis à me abjudicatam esse, queri video. Sed liceat mihi ex censore meo querere, annon in ipso meo schemate doctrinam *physicam*, quæ de corporibus præcipit, videre potuerit? Ad hanc ipsam vero *mathecin* referendam esse, tantum abest, ut unquam ego inficiatus sim, quin potius in ipsa ista Dissertatione p. 4. *Mathecin in physicis propriam sibi sedem vindicare*, disertis verbis pronuncia-verim. Ut hujus sententiæ meæ rationes h. l. addam, haut opus esse existimo, cum ad vindicandum schema meum hæc sufficiant.

II. *Metaphysica* doctrina in præteritis à me numeratur. Sed cum in eadem ista Dissertatione Sect. II. §. 3. 4. tum diversas aliorum de metaphysica sententias exposuerim, tum etiam meam subjecerim epicrisin, additis haud contemnendis rationibus, iis sane hæcenus haut concussis, nullius nuda me movet auctoritas, ut à sententia mea vel latum unguem discedere debeam.

(c)

III. Quod

II. Quod *Ethices* disciplina in systemate etiam meo desideretur, insignis iterum ἀδελφία est. Designantur enim in ipso schemate doctrinæ, quas actionibus Voluntatis dirigendis præesse volui. Declaravi porro in Vindiciis Sect. II, §. V. subnexis, hoc mihi perinde esse, an, quæ ex his doctrinis præcipua est, *juris natura*, an vero *Ethices* nomine appelletur. Quæ igitur, nisi voluntaria cæcitas in causa est, quod hæc dicis tantum gratia contra me disputata sint?

IV. Si juxta cum hæctenus enumeratis partibus & reliquis adhuc deficerent, nihil sane philosophiæ reliquum foret; Qui igitur præter has & *rel.* in systemate meo desiderat, iste de prioribus judicavit, cum nihil vidit. Judicent interim alii, quomodo hæc cohæreant. Rebus hisce hæc talia parum aptum censorem arguunt, qui dum non potuit, desiderare tamen quædam voluit.

V. Post impactam systemati meo imperfectionem, & idem illud inversi ordinis arguitur. Logicam enim reliquis doctrinis à me postponi multa verborum prolixitate contenditur. At vero, qui in præmissis schemate me ordinem naturæ demonstrasse viderat, illum & in versa pagina ordinem doctrinæ à me dispositum intueri opportuisset, ubi per integros tres §§. id præcipue egi, ut post præmissam psychologiam & Logicam ante reliquas philosophiæ partes collocandam esse præciperem. Ad hæc, qui cum potuit & debuit attendere tamen noluit, illum quidem, quod justissimo retorsionis jure facere poteram, fungum atque stipitem inclamitare nolo, ad solem tamen meridianum data opera cœcutiisse, apud omnes, credo, in confesso est.

Quod ad objectum mihi *Syncretismi philosophici* fascinum denique spectat, illud quidem parum curo, præfertim, cum eo illud potissimum tendere videatur, quod in conciliandis quandoque mecum aliorum, maximorumque Virorum sententiis atque conceptibus fuerim sollicitus. In hoc enim longe prudentiorem me egisse existimo, quam si per temerarium *Dogmatismum* (liceat mihi ita ὀνομασπείην) vel mea placita invitatis aliis obtrudere, vel aliorum non auditis eorum rationibus intempestive fati rejicere voluisssem. Quo quidem facto & me *φραδύλας* notam haut effugere potuisse, persuasum mihi habui.

TANTUM,

Vere

* * * * *
* * * *

Vera videre, visa ex haurire, ex hausta
tueri,
Illaque sic sibimet tradere, ceu reliquis,
Magnæ molis erit, sed & optima lucra parabit
His, quibus est studiis invigilare labor.
Strenuus hos inter dum TU versaris &
ardes,

HANI PRÆCELLENS Doctor in
Arte Tua,
Atque trabis doctum THIMIUM in Tua
compita veri,
Cui multum sortis propitius tribuo:
Qui possum Vestris bene gestis rebus abesse,
Quos utrosque mihi laus ea conciliat?
Sit DOMINUS porro Vobiscum! &
gratia Cœli
Exuberet sortes! exsuperet placita!

Præcellentissimo Dno. M. HANIO & Nobilissimo
Dno. THIMIO, Amicis & Consalinis suis æstu-
matissimis ac perdilectis de specimine publico
gratulaturus, adjecit

JO. JOACHIM WEIDENERUS
S. S. Th D. & P. P. O. Facultatis Theol. Senior
& hodie Decanus ac ad Div. Mariæ Pastor.

D

Nobi-

Nobilissimo Clarissimoque DN. RESPONDENTI,
JOAN THIM, LENNARDSSON,
Fautori & Amico æstumatissimo & dilectissimo.

S. P. P.

Dum meditaris optime THIM! Disputationem tuam de Jure & obligatione cognoscendi veritatem eruditè conscriptam sub Præsidio Viri Præcellentissimi totque speciminibus inclyti, DN. M. PHIL. FRID. HANE, Fautoris atque Amici ob pietatis & eruditionis præstantiam honoratissimi & jucundissimi, ventilandam, mihi in memoriam revocas obligationem ad edisserendam veritatem de indole tua Tibi devinctissimam. Ex quo enim tempore Tui in ades meas lumbentissimè recepti penitentiorem nactus sum notitiam, virtutes tue, quas inter eminent ab omni fūco aliena pietas, meum Tibi animum conciliarunt, ut Te non diligere modò sed amare coperim. Deprehendi ex primo conspectu quietos compositosque mores, ita ut optimam spem de Te illicò conciperem. Nec fallax fuit conjectura, cum ardentissimum in eruditione perficienda studium verà pietate Te exornare in sinu gaudeo & laetor. Jucundum Tibi est, sacris interesse concionibus; jucundum, devotam erga DEUM pietatem, non fucatam erga proximum modestiam ablegatus es; magno cum ardore agere; jucundum, prava consortia eane & angue pejus fugere; jucundum, circumfundi eorum catibus, qui sapientiam amant. Nunc cathedram nostram Academicam consendis, quid in Academiis Suecorum Lundenſi & Upsalensi, doctrinarum virtutumque officinis celeberrimis profeceris, publico specimine demonstraturus. Gratulor itaque Patrie Tuae, inclyto Gothoburgo; gratulor Parentibus & Cognatis Tuis honoratissimis, qui pro salute Tuà indefessis DEUM adeunt precibus; gratulor & Tibi, ad fructum Patrie ferendum ardentissimè inflammato. Servet, conservet, augeat, adaugeat, quam Tibi indidit, indolem tuam, DEUM precibus imploro devotissimis. Sic habes Veritatem ex obligatione, quã

TUO NOMINI

Scrib. Rostoch. d. 4. Sept.
Anno MDCCXXI.

addictissimus
M. MATTH. HENR. EGGERDES,
Past. ad Æd. Sp. S.

Strig

SZeig nicht zu hoch! du fällst: so sagten
unsre Alten;

Gehst du die Mittel-Bahn, so steht es trefflich
wohl,

Wenn einst die Liebe wird, wie mans verdient,
erhalten,

So wirstu mit der Zeit von Herzen werden
toll.

Daben gedenc, mein Freund! Daß DICH
der Schluß nicht richtet,

Ich meyn das Gegentheil, die Sach ist schon
geschlichtet.

Der Endzweck ist sehr gut, den Du hast vorge-
nommen,

Weil Pallas den belohnt, der sich hat vorgesezt
zu schreiben in die Welt, wo wenig Leute kommen,

So von dem Vorurtheil der Weißheit nicht
verlezt.

Ich gratulire heut: Der Himmel muß DICH
fröhnen,

So wird die ganze Welt mit ihren Ruff nicht
hönen.

Mit diesen schlecht-eingerichteten Zeilen suchte dem HochzuEhren-
den Herrn Respondenti, als seinem ergebensten Herzens-
Freunde / die gebührende Schuldigkeit zu temoigniren

M. David Hartmann /
von Danzig.

NOBILISSIMO atqve ELEGANTER DOCTO
JOAN. THIM, LENNARDSSON,
Respondenti & Auctori hujus Dissertationis
præstantissimo,

S. D.

PRÆSES

M. PHIL. FRIDERICUS HANE.

ITa jam publicum ejus rei exstat documentum, quid exterum, ex transmarinis Gothorum oris advenientem, TE mihi, meque TIBI conciliaverit, atque tam arcte statim copulaverit. Nimirum fuit hocce commune illud *veri bonique studium*, quod omnes veræ sapientiæ numeros absolvere firmiter nobis pervasum habemus. Et Tu quidem, *Præstantissime THIM!* hanc Tecum mentem, è Cel. RYDELI Tui potissimum ore scriptisque haustam, ex Vestra Lundenfi in nostram Varniacam Musarum sedem ita afferebas, ut Te illam in dies magis magisque augendi, amplificandi que esse cupidum, non uno documento commonstrares. Innotescebas Tu mihi primum hoc Tuo animo, hoc Tuo nunquam satis laudando desiderio. Facere igitur non poteram, quin Tibi rursus innotesceret, me gemina & plane eadem Tecum mente esse præditum. Non opus erat multis, sed in promptu aliquod meorum in philosophiam conatum erat specimen, ex quo mentem meam, etiam me non interprete, ita solus haussisti, ut illam tamen omnino in succum & sanguinem convertisse merito mihi videaris. Nolo commemorare hæc prolixius, cum Tu, *Vir Nobilissime*, idem præterea non in nostri utriusque, aut paucorum saltem conscientiam consistere passus sis, sed mecum de ipso *Veritatis Jure & obligatione* ex eodem hocce fonte publice disputaturus, publicum hujus rei testimonium perhibere volueris. Non igitur possum, quin de hocce in me affectu impense & mihi & TIBI gratuler. Accendat porro, exornetque magis magisque TE, *mi Optime THIM*, hocce *Veri bonique amore* atque desiderio, qui ipse Veritas & Amor est, D. T. O. M. hujusque tutelæ atque providæ curæ in omnibus viis Tuis commendatum Te cupio. Ita vale. Dab. in communj Musarum nostrarum contubernio d. V. Sept. MDCCXXI.

PRÆ-

Prænobilissimis atque Clarissimis
DNN. DISPUTANTIBUS,

Fautoribus, amicis & convictoribus suis con-
iunctissimis, integerrimis,

S. P. P.

M. ANDR. BERGIUS.

OMnem a nobis suscipi actionem, ut ad finem dirigatur, vel ex eo haud difficulter colligitur, ut nihil quidquam agamus, nihilque cogitemus, quin vel ad boni alicujus consecutionem, vel ad veri cognitionem, tendamus. Atqui dure nobiscum egisset natura, quod tantam nobis veri cupiditatem implantaverit, si tam esset abstrusum, tam profunde reconditum, tamque *indifferens* ac vile *Verum*, ut illius vel portio quædam a nobismet adquiri non posset, vel etiam, quia *indifferens*, indigna esset. Frustra quoque, inde ab humani generis origine, ad nostra usque tempora, tot præclara ac præstantia ingenia in veritatibus indagandis defudassent, ac omne tempus, ætatem, robur, facultates, ipsam denique vitam, huic negotio impendissent, si omnem ad eam aditum nobis oclusum vidissent, sique *omnes veritates in se neque bonas neque malas adeoque indifferentes*, ac per consequens, steriles esse deprehendissent. Proinde vestra, *amicissimi Dnn. Disputantes*, solertia ac constantia, quam in confutandis, qui sinistris de veritate iudicii, a veritatis vero tramite defleunt, testamini, omnino laudanda est. DEUS benedicat elegantissimis vestris studiis, ut multum inde lucri quantumcunque reportetis! Scr. raptim inter calentia varia negotia, Rostochii, d. *Manfueri*, m. Septembr. A. O. R. M. DCC. XXI.

Ὅστις φοιχέοισ ἐμμεῖων ἀιαλορήτῃ
Σταχυρίτῃ, καὶ εἰς ἀρετῆς ἀπαύγει κολακείῃ,
Τέτῃ σοὶ ὄντως ἀπαρέσκει, Φιλίαε, δόγμα:
Εὐ γὰρ δεικνύεις, ὅτι δὲ ἀρέτην γε Φυλάτῃσιν,
καὶ αὖ ἀληθείαν αὐτῆς ἐν πάσι μελέχειν.

συνχαίρων παρέδεικε

SIMON PALMEGREEN,
Bah. Svecus.

DEn Deutschen leget man den Ruhm der Wahrheit
bey;
Wo sich die Wissenschaft von einer Sache zeigt/
Von welcher auch der Mund nach seiner Pflicht nicht
schweiget/
So spricht man/ daß daselbst die deutsche Wahrheit sey.
Du bist zwar nicht/mein Freund/vom deutschen Stamm
erzeugt/
Doch lästet sich Dein Mund heut von der Wahrheit hören/
Der sich bemüht die Pflicht von solcher uns zu lehren/
Wie GOTT und die Natur sie nicht umsonst gezeigt.
Das mag ein Zeugnis seyn / das unsern Ruhm nicht
schwächt;
Uns hats zum Eigenthum das Sprichwort beygelegt/
Und von den Schweden wird ein gleicher Sinn geheget;
So bleibt der Wahrheit wohl bey aller Welt ihr Recht.

Hiermit wolte dem Herrn Respondenti, als seinem
Schwedischen Freunde/ eifertig gratuliren daß
selben redlicher Deutscher

HARDWIG CONR. HANE,
S. S. Theol. & Phil. Cult.

POLL.

POLITISSIME DOMINE
RESPONDENS,

Popularis & Amice Svavissime!

ADversarius adversario plerumque invidet: Amicus amico nunquam non favet. Ille aliter animo adfectus esse debet, eo, quod talem invidiam ab homine Christiano exercendam neque permittat jus naturæ, neque admittant sacra oracula: hic aliter se gerere non potest, quam amici in se amore eidem quam intime obstringatur. Tibi, Amice, magna, ut credo, est multitudo amicorum, non eorum, qui speciem tantum amicitiae præ se ferant, sed qui te vere ac sincere amant, quosque tu vicissim diligas. Hi sunt tibi quam amicissimi, magis amica tamen tibi est *veritas*. Hanc enim ut rite cognoscas, literis dies noctesque quam solertissime vacas. Nec mirum: nam ut ad eam cognoscendam te semper *obligatum* recte existimas, ita etiam huic *obligationi* satisfacere posse valde concupiscis. Talis nobis omnibus videris, quandoquidem eam philosophiæ partem, quæ agit de *Obligatione cognoscendi veritatem*, publice ventilandam, tibi elegisti. Gratulor tibi *veritatis* studioso; gratulor tibi *cognitionis* honestarum ac utilium rerum cupido; gratulor tibi *obligationis* tuæ memori, de pulcerrimis tuis studiis, de donis & naturæ & fortunæ jucundissimis. Ut cœpisti, mi *amicissime* THIM, *veritatem cognoscere*; ita pergas, macte, *obligationis* hujus ulterius *cognoscende* nunquam oblivisci. Sic non tantum humanissimus pater tuus, *veritatis* diligens, *obligationem*, quam natura ei præscribit, quamque ipse accurate *cognoscit*, salutis atque commodis tuis prospiciendi observaturus; sed etiam ipse spiritus *veritatis* te in omnem *veritatem* ducturus est.

Tui Studiosissimus
ANDR. TRACHELIUS,
Bah. Svec.

SIn Siäder / som ey än af Castals' dagg är suchtat
måst' dock sig röra nu / min Bror / til **E**hret
behag
fast än iag önskte sielf i welle ha'a fördrag/
at fordra af mig det / hwars Fortgång siag befruchtat.

När många Wänner sig med sagne Liud inställa /
och **E**dert wackra Wårck / sig sielf berömmur bäst ;
när Pallad's Frögde Skald från Pindo liuder måst
Hur' kan Da mit beröm för någon mehra galla.

För mig är detta nog / at uti **E**ysibeet höra /
och giör mig helt fornögd / det Musæ til **E**hret **L**of
Försäckrad willig Tienst i alt hwad giörs behof
tild's på Parnassum de **E**hr prächtigat krönter föra.

Så stannar nu der wid min önskan / den jag giuter
Des löfste blifwa wid sin laga Krafft och rätt /
Aurora wijsse uhr / sit Silfwer Cabinet
Den glada stunden snart / som **E**der önskan sluter.

I Hastighet af Een redelig Wänn och
Landzmann

REUTGER BIÖRCK,
Bahus-Suecus



Rostock, Diss., 1715-23

ULB Halle
005 016 037

3



TA → OL

nr 1+3 Stück verknüpft





Farbkarte #13

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

4.

Vol. 2 N. 6.

16

1721, 4.

DISQVISITIO
PHILOSOPHICO - PRACTICA,
DE

JURE
ET

OBLIGATIONE
COGNOSCENDI
VERITATEM,

Quam DIVINA ADSISTENTE GRATIA
&

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE CONSENTIENTE
In Illustr. Mecklenb. ad Varnum Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆCELLENTISSIMI,

M. PHIL. FRID. HANE,
MECKLENB.

Publico examini, qua par est modestia,
fifit

AUCTOR - RESPONDENS

IOANN. THIM, LENNARDSSON,

Gothoburgo - Suecus,

IN AUDITORIO MAXIMO

Die X. Septembris Anni MDCCXXI.

horis confvetis.



OSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVI, Ampliff. Senat. Typogr.